



II.

REV. FRANCISCI XAVERII WULFEN

PLANTÆ RARIORES  
CARINTHIACÆ.

Continuatio ad pag. 163. Vol. I.

---

IX.

HYPOCHÆRIS HELVETICA.

Hypochæris caule unifloro ; foliis dentatis , hirsutis.

*Hall. hist. helv. num. 2. tab. 1.*

Hieracium montanum foliis dentatis, flore magno. *Bauh.*

*pin. 128. prodr. 65.*

Hieracium incanum tomentosum integro folio. *Barr. ic.*

*238. Bocc. p. 147. t. 106.*



Hieracium alpinum latifolium, hirsutie incanum, flore magno, Casparis Bauhini. *Scheuchz. it. alp. 2. p. 135.*

Per omnes hanc nostras alpes copiose invenimus plantam, mense Junio Julioque florentem; in Sau-alpen inter Eberstein & Wolfsberg; in alpe Görlizenfi inter Treffen & Ossiach; in Koralpe ad sanctum Andream; in alpibus Fladniz versus Winterthal & Eisenhut; in Taurero inter Malniz & Gastein; in alpibus Reichenaviensibus; inque Leontinis Schleinizensibus & Marenwaldensibus. Igitur semper in alpibus; ubi nusquam *Hypochærin* veram *maculatam* Linnæi reperi, quacum Hallerus, & jam ante illum Scheuchzerus, confudit; etiamsi distinxisset utramque Casparus Bauhinus; & vere differunt, vel solo visu facillime discernendæ.

Est autem nostræ huic radix perennis, fere fusiformis, crassiuscula, sublignescens, etiam divisa in crura, extus ex bruneo nigra, intus alba, lactescens, unum (quandoque & duos tresve caules) inter copiosiora folia radicalia efferens. Caulis plus minus spithamam altus, totus rectus, sursum versus incrassescens, ut sub flore crassissimus sit, & fistulosus, teres, striatus, hirsutus,

sum-



simplicissimus, semper uniflorus. Folia radicalia copiosa, lanceolata, integra cum oris repando-dentatis, supra subtusque hirsuta, nigro-maculata, sed non semper. Caulina pauca, duo aut tria, eaque remota, sessilia, & ipsa lanceolata, repando-denticulata, plana, hirsuta, sensim minora. Flos unicus, terminalis, maximus, erecto-patens. Calyx cylindraceus magis quam rotundus, squamis imbricatus aliquot ordinum, quam maxime inæqualis & inordinatus, propterea quod squamarum dorsum, & latera membranacea, prostant, atque sulcos longitudinales sat profundos intercipient. Cæterum squamæ hæ oblongæ sunt, obtuse lanceolatæ, hirsutæ, dorso carinatæ & farræ; lateribus vero membrana latiuscula & serrata veluti alata. Adfunt etiam squamæ exteriores nonnullæ, totæ membranacæ absque dorso carinato; & hæ totæ longitudinaliter intra sulcos interiorum squamarum retrusæ sunt. Corollæ copiosissimæ omnes æquales, semiflosculosæ, ligulatæ, longæ, saturate flavæ, quinquedenticulatæ, erecto-patentes, basi, ubi stamina exoriuntur villosæ, villis ex albo luteis. Tubus corollæ gracilis, longus, albus. Filamenta quinque, capillaria, alba, brevia. Antheræ in cylindrum connatæ, longæ, flavæ. Stylus staminibus altior, extra stamina fla-



vus, bifidus; stigmatibus simplicibus revolutis. Semina oblonga, ex ovata basi sensim attenuata, nuda, apice instructa pappo sessili, plumoso. Receptaculum paleaceum, paleis lineari-lanceolatis, calycis longitudine, apicem versus flaventibus & subserratis. Odor plantæ nullus.

## X.

IBERIS CEPEÆFOLIA. *tab. I.*

Thlaspi montanum, serrato Cepeæ folio, flore purpurascente umbellato. *Barr. rar. pag. 38. num. 365. ic. 848.*

Thlaspi alpinum, folio rotundiore, carnoso, purpurascente flore. *Tourn. inst. 212.*

Antequam descriptionem elegantis hujus plantæ dem, prænotandum censui, eandem omnino, quam Barrelierus loco citato exhibuit cum exacta figura, præter doctum hunc Dominicanum notam quoque fuisse Tournefortio; cæterum nulli adhucdum credo visam. Summa autem

illius